


LYDIAE


EPICEDION

IN MATRIS DVLCIS MEMORIAM

Laudabunt alī male claram heroida: (1)  
Suecicam Gretam Carolamue nautam, (2)  
me quidem percussit (3) amica fortis:  
Lydia mater!

Numquam maesta at ingenio remissa,  
iucundo uoltu noua laeta prodens,  
aegra semper fronte fugans serenā,  
Lydia laeta.






Nam tuo ex uoltu iubar singulare  
emanabat: ex facie uenustā  
comitate item redimitā amicā,  
Lydia fulgens.

Filiae ac matris bonae amicae et almae,  
fidae uxoris officia exsecuta's, (4)  
seruasti domum (5) et bene profuisti,  
Lydia frugi.

Dulces gnatos et placitum maritum  
aeque exoptatos simul et parentes: (6)  
pignora haec et plus oculis amasti, (7)  
Lydia, grata.

Columen firmissimum et adstitisti, (8)  
fulcimen tuaeque domus opimum,  
pauperumque praesidium atque dulce, (9)  
prouida Lydia. (10)




Namque aspro in discrimine reque graui  
derelictis pauperibusque egenis  
large opem et benignius (11) attulisti,  
Lydia benigna. (10)

Non, tui profusa, aliena flagrans  
adpetebas (12) nec manu iniquā auarāque (13)  
at cunctis eras locupleti et amplā,  
Lydia largiens. (14)

Non gemmae, non diuitiae fuere  
praedilectae, non tibi margaritae, (15)  
sed semper fuit mediocritas cara (13)  
aurea (16), Lydia. (10)

Delibatus flosculus abs amicis, (17)  
quis laeto uoltu atque hilari micabas, (18)  
uernam per tuam speciem diei (19)  
Lydia splendens.



Tu Deum caeli Dominumque terrae  
Virginem Matrem genitumque Iesum  
hos piasti cum pietate summā,  
Lydia supplex (20)

Dulce ridentem (21) simul adloquentem (22)  
cum te Lydiam memini atque suave,  
omnino nihil super est mi, grata  
Lydia, uocis (23)

Cursu expleto uitiae operosae ac amplae  
praestolans Patris redditum in domumque,  
auxisti preces patientiamque,  
Lydia digna.

Extremā hora, corpore cincta Christi,  
ceu nauem ad supremum iter adparasti,  
ad portum tutissimum et adpetisti,  
Lydia prudens.

Tamquam pugnares animosa pugnam,  
terrestris certaminis absque campo  
uela fida ad aequora rettulisti,

Lydia pugnax.

Sic aeterna litora consecuta's  
cum beatis hospitiumque sanctum,  
nulla ubique mors odiosa regnat,


Lydia beata. (10)

Sit tibi in caelis, Sion in supernā,  
sit tibi praeclara habitatio alta: (24)  
semper laus nomenque tuum manebunt, (25)

Lydia clara.

Non cupidinum Sion excitatur  
nec quassatur fluctibus aut procellis:  
iste factus est locus in quiete: (26)

Pax tibi, Lydia ! (10)




Hic est porta Dei (27) reserata electis,  
hic est uere ianua celsa caeli,  
quae cum sanctis te accipiat beatis,  
Lydia felix.

Tu quae exemplar matris opemque praebeſ,  
quae matris nobis reseras profunda,  
nos fac liberos tibi ferre laudes,  
Lydia, ſemper.

Haecce reſponſa accipe fauſta, mater:  
“Congerant reſ, diuitias aliq[ue],  
mi (28) tui par nil aderit bonorum,  
Lydia mater!”

RENATVS  
FILIVS ADDICTIſSIMVS



## ADNOTATIONES

(1) cf. HOR. *Carm. I 7, 1:* *Laudabunt alii claram...*  
(specimen praeclarum artificii illius quod hodierni  
philologi appellant *Priamel* [*alii... ~ me ...*]: cf. SAPPH.  
16 Voigt, 1 ss.; LVCR. II 1, 1 ss.; HOR. *Carm. I 1, 1 ss.*; TIBVLL. I 1, 1 ss.).

*Heroida* est hic uox trisyllaba propter synizesin, metri  
causa.

(2) Heroides quaedam nostrae aetatis hae sunt, a  
plurimis *male* (i.e. *insipienter, sine causa laudatae*:  
Margarita sive Greta Thunberg, Suecica puella,  
uaferima oecologista praecox ac scholafuga, atque  
Teutonica uirago Carola Rackete, gubernatrix nauigii  
haud gubernatiui (Ong), cui index *Sea-Watch*, nec non  
coadiutrix et conscia scaphistarum humanae carnis  
mercatorum (de quibus cf. C.EGGER, *Lexicon  
Latinum hodiernum*, Libraria Editoria Vaticana, In  
Civitate Vaticana 2012, p. 111: “*Scafistii* it. : *scaphis  
uehentes* lat. : agitur de uestoribus illis furciferis qui  
aduenas clandestinos in nostras oras inferunt”).

(3) cf. HOR. *Carm. I 7, 10 ss.:* *me ... percussit* (artificium  
illud est quod *Me-Stil* ab hodiernis philologis  
nuncupatur).

(4) cf. SEN. *Ep. 93,4:* *officia boni ciuis, boni amici, boni  
filii exsecutus est.*

(5) cf. mulieris singularis exempli laudationem illam celeberrimam in funebris Romanorum inscriptionibus: *Domum seruauit, lanam fecit.*

(6) cf. VERG. Aen. II 138: *nec dulces natos exoptatumque parentem.*

(7) cf. CATVLL. 14, 1: *ni te plus oculis meis amarem...*

(8) cf. TER. *Phorm.* 287: *columen familiae.*

(9) cf. HOR. *Carm.* I 1,2: *praesidium et dulce decus meum.*

(10) *Lydia* hic est uox disyllaba propter synizesin, metri causa.

(11) cf. HOR. *Carm.* I 9, 6 : *large reponens atque benignius.*

(12) cf. SALL. *Cat.* 5, 4: *alieni adpetens, sui profusus.*

(13) uersus hypermetrus.

(14) *Largiens* est hic uox bisyllaba propter synizesin, metri causa.

(15) cf. SEN. *Cons. ad Helu. matrem,* 16,3: *non gemmae te, non margaritae flexerunt; non tibi diuitiae uelut maximum generis humani bonum refulserunt.*

(16) cf. HOR. *Carm. II* 10, 5-8: *auream quisquis  
mediocritatem / diligit... / ... caret inuidenda / sobrius  
aula.*

(17) cf. ENN. 306 Vahl.: *flos delibatus populi.*

(18) cf. CIC. *Tusc. I* 100: *cum ... esset uoltu hilari atque  
laeto.*

(19) cf. LVCR. I 10: *species uerna diei* (per enallagen).

(20) *Supplex* in Christiana significatione hic adhibetur,  
idem ac *deuota, pia, religiosa, fidelis.*

(21) cf. CATVLL. 51, 5: *dulce ridentem...*

(22) cf. SAPPH. 31, 3 s. Voigt: *ādy* (= att. *hēdy*, lat. *suaue  
phōneí- / sas* (vide HOR. *Carm. I* 22,23: *dulce ridentem  
Lalagen amabo, / dulce loquentem*)

(23) cf. CATVLL. 51, 6 s.: *nihil est super mi, / <Lesbia,  
uocis >* (coniecit et integravit Friedrich).

(24) cf. Ps. 75,3: *et habitatio eius in Sion.*

(25) cf. VERG. *Aen. I* 609: *semper honos nomenque  
tuum laudesque manebunt.*

(26) cf. Ps. 75,3: *factus est in pace locus eius.*

(27) Dei hic est uox monosyllaba propter synizesin,  
metri causa.

(28) cf. TIBVLL. I 1, 1-5: *Divitias alius fuluo sibi  
congerat auro ... / Me mea paupertas...* (carmen - ut in  
aperto est - conficitur eodem artificio quo incipit, i.e.  
*Priamel [alii... ~ me...]*, iuxta schema illud “callidum” a  
philologis huius aetatis *Ringkomposition* nuncupatum).



#### ADNOTATIO METRICA PRAEVIA

In strophis his Sapphicis componendis quadam metrica  
libertate uti ausus sum, cum licentiam illam Horatianam  
(i.e. spondaeum adhibitum pro trochaeo in secunda sede)  
non numquam in prima quoque sede mihi concessissem,  
more poetarum senioris Latinitatis.

De qua e beniuolentissimo lectore ueniam iterum  
iterumque peto.

RENATVS VGLIONE

